

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**De Re Diplomatica Libri VI.**

**Mabillon, Jean**

**Luteciae Parisiorum, 1681**

Caput XXIV.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-3162**

no nostro Jesu-Christo, anno ab Incarnatione ipsius c xi, & Ludovico Rege Francorum regnante anno III. id est anno M c xi. Præter ea in litteris Senatus Tolofani apud Calam-novam<sup>a</sup> memoratur privilegium concessum incolis terræ Occitanæ anno Domini cccc lxxxiii ante Pascha, nempe anno M cccc lxxxiii. Denique quoddam autographum Philippi I Francorum Regis pro cœnobio Dionysiano datum legitur anno Dominicæ Incarnationis LX<sup>mo</sup>, numerico signo millesimo supra lineam secunda manu adjecto.

<sup>a</sup> Francallou de Languedoc pag. 308.

## CAPUT XXIV.

I. *Alia nota chronologica explicantur.* II. *Indictionis usus apud Romanos & Anglos, etiam apud Gallos sub prima stirpe.* III. *Indictio triplex.* IV. *Epacta, luna, concurrentes.* V. *In chartis ut recepta: quid Epacta major & minor.*

I. **A**Nte annos Incarnationis Latinis Romano Imperio subjectis in usu erant æra Diocletiani, Consulatus, & Indictio, quæ est revolutio quindecim annorum à Constantini Magni temporibus incipiens. Triplicem vulgo distinguunt, Constantinopolitanam seu Græcam Imperatorum Orientis, quæ à Kal. Septembris; Constantinianam, à Constantini Magni principatu vel Consulatu sic dictam, seu Cæsaream Germaniæ Imperatorum, quæ ab VIII Kal. Octobris; & Pontificiam, Romanorum scilicet Pontificum, quæ à Kalendis Januarii principium ducit.

II. Indictionis usus apud Romanos ab initio, id est à tempore Constantini; apud Anglos à missione Augustini per Gregorium Magnum; à Caroli Magni imperio invaluit apud Francos. Hi quippe ut ab Imperii legibus se se immunes profiterentur; neque Consulatum, neque Indictionis rationem habuerunt; sed tantum Regum suorum, à quorum principatu seriem temporum numerabant. Regnantibus apud Italos Pippino & Carolo cum annis eorum Indictionis usus<sup>b</sup> servatus est. Jam verò post adeptum Occidentis imperium Carolus Magnus Indictionis usum etiam more imperatorio usurpavit, ejusdemque exemplo Franci omnes. Quamquam ante id tempus invenimus quædam acta Galliæ Conciliorum Indictionis notis prædita: in quibus Aurelianense tertium in codice Lugdunensi *Indictione secunda*; Aurelianense IV *Indictione quarta* in codice Pithoeano; Aurelianense item V *Indictione tertia-decima*; Arelatense sub Sapaudo *Indictione tertia*; Lugdunense secundum & Matisconense primum *Indictione decima-quinta* celebrata dicuntur. Ast in hæc loca, ubi de Indictione mentio est, interpolationem irrepsisse vir doctus<sup>c</sup> causatur, ratus Francos ante Caroli Magni imperium Indictione usos non fuisse, non Historicos aut Chronographos, præter unum Marium Aventicensis, qui quoniam consulares Fastos Prosperi continuabat; & res non Francorum modò, sed etiam Romanorum aliarumque gentium in suo Chronico complectebatur; singulis annis Consules præfixit. Et quidem cum viro clarissimo consentio, Indictionis usum in diplomatibus Francicis ante initium sæculi IX fere nullum, in rebus historicis rarum admodum fuisse: at locum habuisse nonnumquam in actis Conciliorum, aliisque monumentis persuasum habeo. Nam præter superiora Concilia, quorum interpolatio nulla idonea ratione probari potest, cum causa interpolandi nulla subesse queat; in vetustissimo codice Bellovacensi, qui sancti Augustini expositionem in epistolam Johannis complectitur, librarius tempus scripti codicis expressit his verbis: *Explectum opus favente Domino apud cœnobium Luffovium anno duodecimo Regis Chlothacharii, INDICTIOE TERTIA-DECIMA.* Si ergo scriba iste Luxoviensis usus est Indictione; non dubium quin id fecerit ex imitatione aliorum Galliæ scriptorum, qui hunc calculum quandoque adhibebant, quemadmodum Præsules in Conciliis memoratis: in quibus Indictionis potiùs numerus, sicubi cum recto calculo non convenit, quàm usus corri-

<sup>b</sup> Puricell. pag. 35, 21 & c.

<sup>c</sup> Carolus Coingt. tom. 2. Annal. an. 575 num. 5.

A gendus est. Antiquius est Casariae epitaphium apud Baronium <sup>a</sup>, quæ quadrages & sexies P. C. Basilii junioris Arelate obiisse perhibetur, & quidem *anno duodecimo regni domini Childeberti Regis*, INDICTIONE QUINTA. Hic in memoriam venit Breviculus Collationum cum Donatistis apud Augustinum <sup>b</sup>, ubi Catholicis profertur Cirtense Concilium, in quo Consulum mentio erat, atque rejicientibus Donatistis, dicentibusque, *nec Consulem, nec diem talia solere habere decreta*: Catholici responderunt, *illorum esse istum forsitan morem, qui Concilia sua nollent in aliqua falsitate convinci: Catholicorum autem Concilia Consules & dies semper habuisse.*

<sup>a</sup> Baron. tom. 5  
ad ann. 587 num. 11.

<sup>b</sup> Brevic. collat.  
cum Donat. cap. 15  
& 17.

B III. Quali verò Indictione usi sint quique Latini orbis populi, jam inquirendum est. Græcam seu Constantinopolitanam adscribunt epistolæ Gregorii Magni, Johannis VIII, & Gregorii VII. Unde Gregorius VII in Bullario <sup>c</sup>: *Datum Laurenti III Non. Septemb.* INDICTIONE INCIPIENTE XV. At subsequentium Pontificum diplomata passim eam præferunt, quæ à Kal. Januarii incipit, aut à Natali Domini pro novi anni exordio; ob idque pontificia dicta est, nonnullis Christiana. Constantinianam secuti sunt Angli, teste Beda in lib. de ratione temporum cap. XLVIII: immo etiam Galli non raro, maximè à sæculo XI, ut patet ex Hariulfi Chronico Centulensi <sup>d</sup>. Pontificiam tamen subinde Galli frequentarunt, maximè ævo Carolino. In summa, Indictionum genera variè pro scriptorum aut Notariorum arbitrio tam in Gallia, quàm Romæ & alibi variarunt. Si mendæ expers est Ludovici Pii diploma <sup>e</sup> pro cænobio sanctæ Christinæ in Italia, quædam ejus diplomata Indictionem incipiebant à Kal. Septembris. Datum est enim *iv Kal. Octob. anno ix imperii Ludovici, Indictione prima*. Nam eo anno, scilicet Christi DCCC XXI, currebat Indictio xv. & prima incipiebat à proximis Kalendis Septembris Græcorum more, atque ejus temporis Romanorum Pontificum. Pleraque alia inchoant Indictionem à Januario. Id probat in primis ejusdem Ludovici Pii diploma pro cænobio Montis-

<sup>c</sup> Bull. tom. 1  
pag. 50.

<sup>d</sup> Spicil. tom. 5  
lib. 3 cap. 1.

<sup>e</sup> Append. Capitul.  
tom. 2 col. 1423.

C bitrioli <sup>f</sup>, datum *vi Idus Decemb. anno secundo imperii domini Ludovici piissimi Aug. Indictione octava*, id est anno DCCC XV, quo currebat ea Indictio. Idem confirmant literæ <sup>g</sup> Caroli Calvi pro Attone, concessæ *Id. Novemb. Ind. vi, anno iv regni ejus*, id est anno DCCC XLIII, qui Indictione VI præditus erat. His adde ejusdem Appendicis diplomata LVII, LXVII, LXXI, & alia. Apud Germanos verò jam dudum obtinuit Indictio ab VIII Kal. Octobris, obtinetque etiam nunc, ob id *Cæsarea* dicta, aliis *Constantiniana*. De Indictione lege Chiffletium in Probationibus ad Historiam Trenorchensem <sup>h</sup> & Cangii Glossarium. Insignis porro locus est de veteris Romanæ Indictionis exitu apud Sirmundum in Notis ad Ennodium <sup>i</sup>: ubi vir præstantissimus monumentum refert Romæ in æde suburbana sancti Pancratii ab se visum, quod propter adscriptam exeuntis Indictionis notam memorabile existimavit. In eo quippe Maximus parvulus depositus memoratur, *sub diem III Id. Augustarum, Symmacho & Boëtio vv. cc. Consulibus*, IN FINE IND. XV. Ex quo inferas, Romanos Indictionem mutasse ineunte Septembri, sub consulatu Symmachi & Boëtii, quos Magni illius Boëtii filios fuisse eruditus vir probat; & consulatum gessisse anno anno D XXII. Eadem Indictionis norma anno M LIII (quo anno sanctæ crucis Exaltationis festum receptum est) servatur in charta hac de re edita apud Puricellum <sup>k</sup>, data *quinto die Septembris, ingrediente Indictione VII.*

<sup>f</sup> ibid. col. 1409.

<sup>g</sup> ibid. col. 1441.

<sup>h</sup> Tourm pag. 252.  
& 253.  
<sup>i</sup> Sirmund. in Ennod. lib. 8 epist. 9.

<sup>k</sup> Puricell. p. 430.

F IV. Præter Indictionem mediæ & infimæ ætatis homines varios characteres chronologicos superinduxere. nempe ab Epacta, Luna, Concurrente, termino Paschali, aliisque similibus. Id accidisse puto duabus ex causis. Prima ne facili negotio notæ chronologicæ falsis diplomatibus ab imperitis supponerentur. Secunda, ut Notarii peritiam suam ostentarent in arte computi, quæ ars magnopere tum venditabatur, & à clericis ordinandis exigebatur. Rodradus Presbyter Ambianensis his notis inter primos usus est medio sæculo IX. quo libro sacramentorum manu sua descripto hanc inscriptionem apposuit. *Ego Rodradus misericordiâ Dei indigens, victus Hilmeradi Antistitis jussionibus, vinculusque episcopalis auctoritatis excommunicationibus, IIII Non. Mart. Sacerdotalis ministerii trepidus suscepi officium anno Incarnationis Dominicæ DCCC LIII, Indictione I, Epacta VII, Concurrente VII, termino Paschali*



IIII Kal. Aprilis. Sed ante eum Concilium Sueffionense anno DCC XLIV celebratum A  
dicitur sub die VI Nonas Martii, Luna XIV.

a Labbe tom. 1  
Biblioth. nova  
pag. 133.

b Labbe pag. 553.

c Tourm pag. 312.

d ibid. pag. 332.

e ibid. pag. 334.

f Doublet pag. 845.

V. In chartis privatis ( rariùs in diplomatibus ) usus iste invaluit aliquando sub stirpe Carolina , probante charta<sup>a</sup> Berengarii Episcopi Virdunensis , data anno Incarnationis Dominice DCCCC LII , Ind. IX , Concurrente IV , Epacta XXII. Sed longè frequentior fuit sub tertia stirpe. Lunæ quippe nota Rotberto Rege adhibetur apud Labbeum in Miscellaneis<sup>b</sup> ; sub Henrico anno MLVI Epacta & Concurrentes apud Chiffletium in Historia Trenorchienfi<sup>c</sup> ; ibidemque sub Philippo anno MLXXXVII Luna sola ; præterea Epacta sine Concurrente apud eundem<sup>d</sup>. denique Epacta , Luna , & Concurrentes anno MCXI in charta Odonis Comitis Corbolienfis<sup>B</sup> apud Dubletum<sup>e</sup>. Res eo tempore tritissima. Notandum est decretum Umberti Episcopi Gratianopolitani hîc editum , datum anno ab Incarnatione Domini millesimo duodecimo , feria V , Luna XXV , Indict. X , Epacta majore III , minore XXV , Concurrente III , cyclo decemnovennali VI. Hîc duplices illos characteres , Rodradi scilicet atque Humberti , explicare juvat. Primo Rodradus Presbyter ordinatus est IIII Non. Mart. anno DCCC LIII Indict. I. Atqui per annum DCCC LIII currebat Indictio I. Pascha verò incidebat eo anno in decimum Aprilis. ac proinde Rodradus anni principium ducit non à Paschate , neque ab Annunciatione ( nam IV Nonas Martii ordinatus est ) sed à Januario. Certè idem annus DCCC LIII præditus<sup>C</sup> erat Epacta VII , Concurrente VII. Concurrentes sunt Epactæ Solis , seu *superscrescentia unius diei vel plurium supra LII septimanas* ex Johanne de Janua. Dicitur *vel plurium* , quia in anno bissextili *supercrescunt duo dies , in reliquis unus tantum*. Concurrentes numquam excedunt septenarium , ut habet Dionysius Exiguus. Ad inveniendam Lunam vel feriam in Kalendis mensium singulorum concurrebant cum Regularibus. Regulares autem aliæ sunt Solis , aliæ Lunæ. Computistas adi , si tanti est. nam Regularium doctrina modò superflua est : cum via ad inveniendum ferias longè expeditior sit per litteras Dominicales ; ad inveniendum lunam per epactas. Redeo ad Rodradi inscriptionem , in qua *terminus Paschalis* censendus est dies , quo<sup>D</sup> incidit luna XIV Paschalis ejus anni. Anno autem DCCC LIII Pascha incidebat die secunda Aprilis , Luna XVIII ac proinde Luna XIV seu terminus Paschalis IIII Kal. ejusdem mensis , id est Martii die XXIX. Superest explicanda *Epacta major* atque *minor* , & *cyclo decemnovalis* in charta Umberti , data anno MCXII. Eo anno re vera currebat Indictio X , Epacta XXV. At Concurrentes *duo* , non *tres* ; cyclo decemnovalis seu lunaris *tertius* , non *sextus*. At quid *Epacta minor* ? fortasse Epacta Solis , quæ minor dici potest , propterea quòd septenario dumtaxat numero constet : lunaris autem undecenario. Solaris enim Epacta non alia est à Concurrentibus , ut scribit Beda in libello de argumentis Lunæ. At si in superioribus Umberti litteris<sup>E</sup> Epacta minor est Epacta Solis , cur post concurrentem exprimitur ? nam alterum exprimere satis erat. Alia charta Erleberti Catalaunensis Episcopi pro sancto Remigio apud Remos data est anno dominice Incarnationis MCXXX , regni autem Lodovici Regis Francorum XXIII , episcopatus verò domni Erleberti anno III , Epacta IX , Concurrente secundo post septimum cum bissexto. Nimirum quia in anno bissextili duo erant Concurrentes , uti modò duæ litteræ dominicales.